



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...**

**Guilelmus <Peraldus>**

**Lvgdvni, 1585**

De vitio incomsumptionis. Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

fecit, vt maiora animalia visceribus parentum diutius cōtine-  
rentur. Sic tardior dum diligens sit stilus, quæramus optima, nō  
protinus gaudeamus offerentibus. Repetenda sapius erūt scri-  
ptorū proxima. Sic namq; melius iunguntur prioribus sequen-  
tia. Omnia nostra dum nascuntur placent. Sed redeamus ad iu-  
diciū. Citò nō fit vt bene scribatur, & bene scribendo non fit,  
vt cito. ¶ Secūdo impedit diligentia studij, curiositas, quæ vult  
videre omnia, quæ sequuntur. Contra quam remedium est, ani-  
mo velut quoddam frænum imponere, & non permittere va-  
ganillum a se sequentia. Vnde Sapiens: Resistamus & prouidea-  
mus, vt efrænatos equos frænis quibusdā coërceamus. Oculus  
cordis semper noua videre appetit, sicut & oculus corporis: iuxta  
illud Eccl. 1. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Ideoq;  
refrenandus est. ¶ Tertio impedit diligentia studij, fatigatio.  
Vnde bonū est, vt quādo aliquis videt se fatigatum circa mate-  
riam aliquam studendo, q; ipse quiescat, & post quietē ad ean-  
dem materiam redeat. Vnde Sapiens: Obstat diligentia scribē-  
dieriam fatigatio. Non dubium est, optimum emendandi ge-  
nus esse, vt scripta in aliquod tempus reponantur, & ad ea post  
interuallum aliquod velut noua atque aliena redeamus, vt no-  
bis tanquam recentes fœtus blandiantur.

*De vitio inconsummationis.*

CAP. VIII.

Sequitur de octauo vitio pettinēte ad acedia, quod possum<sup>9</sup>  
Svocare vitium inconsummationis, seu imperseuerantia. Hoc vi-  
tio laborat illi q raro ad perfectionē ducūt aliquod op<sup>9</sup> quod  
inchoāt. ¶ Ad detestationē huius vitij primo potest valere exē-  
plū Christi, de quo habetur Mat. 27. q; obtulerunt ei Iudæi, q;  
crediderent in eū, si de cruce descēderet. Ipse verò pro tanto mu-  
nere sibi oblato, noluit opus redēptionis nostræ inconsumma-  
tum relinquere. Ad idē potest referri quod ipse dicit Ioā. 4. Ci-  
bus meus est, vt faciā voluntatē eius, qui me misit, vt perficiā  
opus Dei. Et Ioan. 18. Ego te clarificauī super terram, opus con-  
summāui quod dedisti mihi, vt faciā. Legitur etiam Deuteron.  
31. q; Dei perfecta sunt opera. ¶ Secundo potest valere ad dete-  
stationem huius vitij hoc, quod hoc vitium adeo placet dia-  
bolo. Cuius signum est hoc, q; ipse tantum conatur ad hoc, vt  
homines non perseuerent. Vnde dictum est serpenti, Gen 3. Tu  
insidiaberis calcaneo eius: id est, fini, cui præcipuē diabolus in-  
sidiatur. Scit enim finem optimum esse in re, & q; cætera habet  
ab eo bonitatem suam. Ideo finem præcipuē impedire cona-  
tur. ¶ Tertio valere potest ad detestationem huius vitij hoc,

Tt 2



q̄ vitium istud valde nocuum est homini: quasi enim perditū sunt cætera, quæ facta sunt, nisi finis sequatur. Parum enim prodest fundamentum & parietes fecisse, si tectum non sequatur. Parū etiam prodest per mare laborasse nauigando, si tunc nauis perierit, quando portui proxima fuerit per leucam vnā. Ideo dicitur Prou. 18. Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis: quasi enim idem est ac si dissiparet, quia ea non perficit. Nec solum est damnosum vitium homini, sed etiam verecundum, & irrisione dignum dicitur enim. Iste homo cepit ædificare, & non potuit consummare: secundum quod legitur Luc. 14. Indecens est animal sine cauda & ridiculosum: vt patet in simia: sic opus sine consummatione. Vltimo potest valere ad detestationem huius vitij, magna vilitas quæ prouenit ex perseverantia. Tantum enim valet vitimus dies quo aliquis bene viuit, quantum omnes dies præcedentes, quantum ad hoc quòd si illo die male vixisset, tota vita præcedens perditā esset. Sola perseverantia hominem saluat. Vnde Bernar. Perseuerantia est singularis filia summi regis. Illa enim sola hæres est regni æterni.

*De vitio remissionis*

CAP. IX.

**V**itium remissionis est nonū vitium pertinēs ad Acediam. Hoc vitio laborat ille qui quotidie deterior efficitur. Si inchoat aliquod opus, primo die aliquantulum strenuè operatur, secundo die minus, ad vltimum nihil. De tali dicitur Eccle. 21. Filia fatua in deminoratione fiet. Filia fatua est anima sapientia non condita, quæ semper decrescendo procedit: sicut e contrario vita iusti procedit à crescendo. Vnde Prouerb. 4. Istorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectū diē. Et Prou. 21. Cogitationes robusti semper in abundantia. Robustus aliquid quotidie lucratur super hostes suos, sed remissus quotidie aliquid amittit. Remissione in verò ista sequitur paupertas primo. Vnde Prouer. 10. Egestatem operatur est manus remissa: manus autē fortium, diuitias parat. Secundo sequitur remissionem istam seruitus vitiorum. Vnde Prouer. 10. Manus fortium dominabitur: quæ autē remissa est, tributis seruiet. Sequitur etiam remissionem istam, frequens fractio propositi. Vnde Senec. Arcum frangit intentio, animum remissio.

*De vitio quod potest vocari Dissolutio.*

CAP. X.

**D**ecimum vitio quod pertinet ad acediam, possumus vocare dissolutionem. Hoc vitio laborat ille qui inueniens difficultatem in sui regimine, se dimittit omninò absque gubernatione.